



## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in ædibus, quibus nomen EDITIONS ECLECTICA est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	CHF	30.-
In ceteris terris	EUR	25.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Estelle (Stella) Gitta  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS,

C/o EDITIONS ECLECTICA Estelle Gitta  
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex  
E-mail: [e.gitta@bluewin.ch](mailto:e.gitta@bluewin.ch)

[www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

Institutum pecuniarium:

BCG, Genève  
Estelle Gitta, Societas Latina Helvetica,  
Z 3281.88.11

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS ECLECTICA herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS ECLECTICA

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 200

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse	CHF	30.-
Ausland/Etranger	EUR	25.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich  
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Estelle Gitta  
Barbara Maier  
Martin Meier  
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa: Ulrich Aeschlimann

Grafik und Layout/graphisme et layout:  
Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition  
RVMOR VARIVS,  
c/o EDITIONS ECLECTICA, Estelle Gitta  
Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex  
E-mail: [e.gitta@bluewin.ch](mailto:e.gitta@bluewin.ch)  
[www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

Bankverbindung/institut bancaire:

BCG, Genève  
Estelle Gitta, Societas Latina Helvetica,  
Z 3281.88.11

# PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Ecce nonnullae sententiae nuper in institutionis 'Sacrificii ieiunii (Fastenopfer)' calendario inventae, quod quotannis ante dies paschales edi solet:

Noli queri, quod deus tigrem creavit, sed gratias age deo, quod alas ei non dedit.  
Proverbium Angoliense

Vis ibi exoritur, ubi homines loqui desinunt.  
Hannah Arendt (1906-1975), philosopha Germana



Homines fortasse obliviscantur, ubi fumatorium pacis infossum sit, sed numquam obliviscuntur, ubi securis belli iaceat.



Mark Twain (1835-1910), scriptor Americanus



lura humana hodie laesa caedes futuras efficiunt.  
Kofi Annan(\*1938), praeses Nationum Unitarum

Nemo lacrimas alterius abstergere potest et manus suas non madefacere.  
Proverbium Africanum

Ubi sunt sclopeta, ibi non sunt progressio et incrementum.  
Sententia Sudaniensis meridiana

Flos, qui vi decerpitur, odorem amisit.  
Proverbium Arabicum



'Oculus pro oculo' tantum efficit, ut mundus caecus fiat.  
Mahatma Gandhi, (1869-1948), Indus

Si nullum hostem intra nos ipsos habemus, hostis externus nobis nocere non potest.  
Proverbium Africanum

Si manu pugnum facis, neque imponere aliquis aliquid tibi potest neque accipere manu quicquam potes. Proverbium Africanum

Didicimus volare ut aves et natare ut pisces; sed obliti sumus vivere ut sorores et fratres. Martin Luther King (1929-1968)



Si vim sero, vis me metet. Anke Maggauer-Kirsche (\*1948), Germana, ministra senum

Legatis, meditemini, cogitetis, agatis, cari legentes! Praeterea nolite oblivisci nostri argumenti libelli 5+6/2005: De religionibus! Maximas gratias vobis agimus!

Valete!

Daniel Weissmann

## ERRATA

in Rumoris Varii	in pagina	falso impressum	forma recta
5+6/2003	136, l. 4 139, l. 1 139, l. 14	at mature ilium	et maturo illum

## Propositiones Alcuini solutae

Solutio de limace

In leuca una sunt mille quingenti passus, septem milia quingenti pedes, nonaginta milia unciae. Quot unciae, tot dies fuerunt, qui faciunt annos CCXLVI, et dies CCX.

Solutio de homine et equis

XL equi erant, qui pascebant. Alii tantum fiunt LXXX. Medietas medietatis huius, id est, XX, si addatur, fiunt C..  $[1/2 + 4/2 = 5/2; (100*2)/5=40]$

## DE MITELLA RUBRA FABULA

Roald Dahl

### REVOLTING RHYMES

#### Versiculi Horribiles

a Francisco Schlosser  
Rhenano-Palatinensi

in sermonem Latinum conversi  
imagunculisque lepidis exornati



Cum Lupus rem escariam  
appeteret rectissimam,  
pulsavit forem aviae.

"Me devorabis!" territa  
vociferavit avia,  
quod certe recte dixit, nam  
absumpsit ille stolidam  
morsu immani vetulam. (1)

Cum autem macra avia  
et ingustibilissima,  
Lupellus est vociferatus:

"Nondum, quid mirum, sum satiatus!"

Qui per culinam currens tum:  
"Fuit parcum hoc convivium!"




*Ecce avia Mitellae Rubrae, quam Lupus mox vorabit. Grandis natu est. Hac proxima hebdomade octoginta tres annos complevit. Anui artus dolent. Arteriarum duritia laborat. Asthmatica est. Pectori eius instrumentum ad cor stimulandum a medicis insertum est.*

Nunc ea exspectabo re  
parvam Mitellam Rubram me  
visitaturam, aviam  
adulterinam, subditam."

Tum anus veste, minime  
quam ederat, induit se:  
induxit sibi pallium  
et calceos et petasum.  
Pexit, crispavit comam. Quo  
facto consedit solio.

Cum haec recludit illam, vae,  
illius vidit dentes. Qui  
"Intrare", dixit, "licet mi?"



*Lupus aviae devoratae veste tectus Mitellam Rubram, aetatis nuclearis puellam doctam atque humanam, certe decipere non potest!*

Intravit rubida pupilla.  
Quae venit, vidit, dixit illa:

"Avia, quam aures magnas habes!"  
"Ut melius audire te possim", Lupus respondit.

"Avia, quam oculos magnos habes!" Mitella Rubra dixit.  
"Ut melius videre te possim", Lupus respondit.

Qui gaudens insidebat sella.  
"Hac", sibi dixit, "vescar bella!  
Puella multo dulciore quam ista anus est sapore".

Tum Mitella Rubra: "O avia, quam magna veste pellicea induta es!"

Et Lupus: "Hoc falsissimum!  
Tune oblita dentium?!  
Utcumque res se habet, te

nunc comedam planissime!"  
Puella ridet. Ferrum quae depromit sinu tunicae interioris, Lupum quo occidit globulifero.



*Mitella Rubra Lupum aviolivorum globo e ferro suo emisso necat (2)*

Post decem dies in Mitellam in silva incidi puellam.

Mutata erat: rubidas amiserat res stupidas.  
"En! Ecce! Pelle", dixit mi,  
"vestita nunc sum Lupuli!"


*.Mitella pelle lupina induta ambulationem in silva conficit.*



(1) Quo alio miserandus lupus fame pressus his diebus computatoriis vescatur? – Etsi vetularum carnem sumendo haud gaudium culinarium capi potest! De illa vaccarum (Britannicarum!) dementia bovina laborantium valde dubitandum est! De carne porcorum aphte epizootica laborantium aequae dubitandum est.  
(2) Et arte pugnatoria Sinensi <Kung Fu> dicta aut illa Iaponica Karate appellata utendo, quarum artium pugnatarum peritissima est, Mitella Rubra lupum porcellumdevoratum uno icto manus humi prosternere potuisset.

## De fastidioso viro

Similis est illius avis variis quidem plumis sed haud propriis exornata. Nam nec loquitur nec cogitat sed alienas cogitationes sermonesque refert atque adscito ingenio tam facile utitur ut ipse decipiatur ac saepe credat se aut quae praeoptet aut quae sentiat explicare cum interea, sicut imago, tantum resonat sermonibus hominis a quo modo discessit. Qui vir autem is est qui per brevissimum sane tempus tolerari possit, sed mox obsolescat et a se degeneret, nec iam retinens splendorem mediocre quem per mediocre memoriam adeptus erat sicut trita vestis fila ostendere soleat. Ut qui solus ignoret quam longe absit a sublimi grandique animo neque aptus sit qui videat quam late pateant humani ingenii facultates, stulte credit apud se eas tantas esse quantae apud hominem esse possint. Unde fit ut vultu habituque talem se praebeat qualem qui de ea re nihil desideret nec cuiquam invidet.



Rettulit Stella Gitta



**Incepta eruditionis Latinae  
ludi superioris in oppido  
nomine 'Düdingen' anno 2003  
acta III**

**De sandaliis Romanis conficiendis**

*Monnica Klöckener, Tanja Bächler  
Othmar Jeckelmann, magistro sutorio orthopaediae adiutore, in vico nomine Tafers  
habitante. Franz Jeckelmann, in vico nomine Tafers habitans, corium nobis donavit.*

Post nonnulla telephonemata cum  
hominibus musei Romani Augustae  
Rauricae Monnica exemplaria formae  
desiderata et documenta et inscrip-  
tiones cursuales ad consulendum  
accipit.



Studiis documentorum factis exemplaria  
formae explicantur et - o mirum! -  
optime congruunt.



In fragmento corii reiculi  
usum cultri acuti exercemus.



Non facile est corium, quod extenditur,  
accurate exsecare.



Duobus dimidiis consutis  
magister foramina corri-  
giarum calceamenti facit.



In exemplare originali scissurae ad  
aërem immittendum exsecantur.



Praeterea magister cistae volu-  
minum nostrae lorum gestatorium  
sua macchina sutoria antiqua - non  
Romana! - suit.



Calx sandalii non in tabula iacens  
magistro adiutore suitur.

Ex filis sutoriis veris lina facimus,  
quibus corrigiis calceamenti utimur.



Iterum iterumque incipiebamus con-  
stringere, donec omnia tandem apta  
essent.

Nunc statua non iam pedibus nudis  
in auditorio Latino stat.

Versio Latina: Daniel Weissmann



## CANTICA

A SCARABULSANTIBUS LINGUA ANGLICA BEATLESAPPELLATIS  
COMPOSITA, A FRANCISCO SCHLOSSER LATINE REDDITA

### Yesterday

Hodie  
curae, quae distabant heri, me  
vexant, cruciant immodice.  
Maestissimus sum hodie.

Subito  
plane actumst de me misero.  
Nil nunc sum nisi homuncio.  
Res est effecta subito.

Quanam,  
quaeso, re illa abiit a me?  
Voce  
usus sum falsa, quod,  
eheu, retracto hodie.

Hodie  
bonis civibus occulto me.  
Heri laetus fui mirifice.  
Maestissimus sum hodie.

Quanam . . .


Hodie  
bonis civibus . . .





## Nationum Europae sententiae et proverbia

Saepe vir nimis iuvenis est ad uxorem ducendam, numquam  
autem aetate nimis proventus ad amandum.



Finnia

\*



Lituania

E paupere nemo veritatem quaerit.

\*

Leaena unum tantum pullum habet, sed leo est.



Nigromontium

\*



Hungaria

Etiam inter apostolos Iudas quidam fuit.

\*

Non medicum, sed eum, qui aegrotus fuit, interroga!



Graecia

\*\*\*



Helvetia

Tempus perficit, quae nos non conficimus.

\*

Amicus in rebus adversis verus amicus est.



Britannia

\*



Bosnia

Nimia festinatio et paenitentia sorores sunt.

\*

Inimicus unus nimium est, centum amici parum.



Islandia

\*



Estonia

Amicitia domini magni te mendicum reddit.

\*\*\*

Liberi magis spectant, quae parentes faciunt, quam, quae  
dicunt.

\*



Germania



Britannia

Ille, qui me amat, canem quoque meum amat.

\*

Non potes eligere tempus, quo amabis.



Norvegia

\*




Nederlandia

Deus unus, mulier una, sed multi amici.

\*

Amor vetus et lignum non omnino extinctum omni tempore  
iterum exardescunt.



Francogallia

\*\*\*



Russia

Lacrimis inopia non depellitur.

\*

Ei, qui legere et scribere scit, quattuor oculi sunt.



Albania

\*

Amoris facula in culina accenditur.

Latine tradidit Daniel Weissmann

### PROPOSITIO ALCVINI:

DE VIRO AMBULANTE IN VIA

Quidam vir ambulans per viam vidit sibi alios homines obviantes, et dixit  
eis: Volebam, ut fuissetis alii tantum quanti estis; et medietas medietatis;  
et huius numeri medietas. Tunc una mecum C fuissetis. Dicat, qui velit,  
quanti fuerunt qui in primis ab illo visi sunt?

## Omnes in se pestilentiam habere

Leo: «Credo deos propter peccata nostra istam calamitatem fieri svisse. Qui igitur inter nos maxima dedecora admisit caelestium iratorum telis se devoveat: haud scio an ita impetraturus sit ut omnes convalescant. Nam historiarum scriptores nos docent in talibus aerumnis similes devotiones fieri solere. Ergo ne nobis nimis indulgeamus atque, in animos nostros inspicientes, severis oculis quales sint videamus. Equidem, ut edacitatem explerem, ovium vim voravi. Quae mihi quas contumelias imposuerant? Nullas; quin etiam nonnunquam accidit pastorem ut ederem.»



Venator: «An credis me iam, ut inverecundum, ita mei immemorem esse? An velis patiar omnia quae in vita mea intelligi non possint silentio obrui? Nam, videlicet, si possem ad vitam innocentem regredi, si vitiorum exercitationis oblivisci possem, haud scio an tibi parcerem: nunc scito me vino et alea delectari; ac si quid in me veneraris, dum mecum loqueris, haud scio an tibi parcerem: ac si quid in me veneraris, dum mecum loqueris, haud scio an caedem quam admissurus sim ideo venereris quod tu eam non admittas. Procedente tempore, hoc, nec quicquam aliud, intellexi eos ipsos qui ceteris humanitate praestarent hac aetate facere non posse quin necesse aut ipsi inferrent aut saltem alios inferre paterentur propterea quod ita agentes suae vivendi rationi congruerent, omnesque nos in terris ne minimam quidem rem facere posse quin in periculum interficiendi vocaremur. Ita pudor nunquam a me afruit, ac, postquam intellexi omnes nos in pestilentia versari, animi pacem perdidit. Quam pacem etiamnunc requiro, dum omnium animos mente concipere conor nec cuiquam capitalis inimicus esse. Nam hoc unum certo scio nobis omnia esse efficienda quibus a pestilen-



tia liberemur; sic autem neque ulla alia ratione nos pacem adipisci posse aut saltem mortem generosam, sic homines sublevari posse et, si minus incolumes serventur, quam minimas certe iniurias nec nullam interdum commoditatem accipere. Itaque mihi placuit omnia repudiare per quae caedes eminus comminusque, iustis iniustisque causis, aut efficerentur aut comprobarentur.»

Rettulit Stella Gitta



## Der traurige Mönch - De monacho tristi

In Schweden steht ein grauer Turm, herbergend Eulen, Aare; gespielt mit Regen, Blitz und Sturm hat er neunhundert Jahre; was je von Menschen hauste drin, mit Lust und Leid, ist längst dahin.

Der Regen strömt, ein Reiter naht, er spornt dem Ross die Flanken; verloren hat er seinen Pfad in Dämm'rung und Gedanken; es windet heulend sich im Wind der Wald wie ein gepeitschtes Kind.

Verrufen ist der Turm im Land, dass nachts, bei hellem Lichte, ein Geist dort spukt im Mönchsgewand, mit traurigem Gesichte; und wer dem Mönch ins Aug' geseh'n, wird traurig und will sterben geh'n.

Doch ohne Schreck und Grauen tritt ins Turmgewölb der Reiter, er führt herein den rappen mit, und scherzt zum Rösslein heiter: "Geld du, wir nehmen's lieber auf mit Geistern als mit Wind und Trauf?"

Est turris in Suetia, quam domum ulularum nec fulmen neque saecula delerunt noctuarum. Sed inerant qui homines, iam diu non iam cerneres.

Sub imbre eques advenit, qui equum incitabat, nam viam non iam invenit, quod multa cogitabat. Movetur silva ululans ut fur flagello poenas dans.

Hic fama nocte ruitur lemurem apparere. Qui vultum tristem dicitur et monachi habere. Hanc faciem qui viderint, mox ipsi vitam oderint.

At abs timore intrat nunc is altam turim eques, conducto equo ridet tunc gratiarum fundens preces: "Pugnare cum lemurebus quam imbre est facilius!"



Den Sattel und den nassen Zaum  
entschnallt er seinem Pferde,  
er breitet sich im öden Raum  
den Mantel auf die Erde,  
und segnet noch den Aschenrest  
der Hände, die gebaut so fest.

Und wie er schläft und wie er träumt  
zur mitternächt'gen Stunde,  
weckt ihn sein Pferd, es schnaubt und  
bäumt.  
Hell ist die Turmesrunde,  
die Wand wie angezündet glimmt;  
der Mann sein Herz zusammennimmt.

Weit auf das Ross die Nüstern reist,  
es bleckt voll Angst die Zähne,  
der Rappe zitternd sieht den Geist  
und sträubt empor die Mähne;  
nun schaut den Geist der Ritter auch  
und kreuzet sich nach altem Brauch.

Der Mönch hat sich vor ihn gestellt,  
so klagend still, so schaurig,  
als weine stumm aus ihm die Welt,  
so traurig, o wie traurig!  
Der Wand'rer schaut ihn unverwandt  
und wird von Mitleid übermannt.



Ephippio et liberat  
frenisque tum caballum,  
nec vestes non depositat  
circumdans sibi vallum.  
Benedicuntur animi,  
qui turris erant domini.

Cum somno atque somnio  
constanter capiatur,  
ab equo trepidissimo  
e somno excitatur.  
En, totus fulget paries!  
Est fortitudo sola spes!

Horrore captus oscitat  
ostensans equus dentes,  
lemurem tremens spectitat  
lucisque infulgentes.  
Et eques cernit spiritum  
se cruce signans horridum.

Stat ante eum monachus  
et lacrimans et motus,  
quam maeror si pancosmius  
ex eo fleret totus.  
Viator spectat, spectitat,  
quem luctus eius captitat.



Der grosse und geheime Schmerz,  
der die Natur durchzittert,  
den ahnen mag ein blutend Herz,  
den die Verzweiflung wittert,  
doch nicht erreicht - der Schmerz  
erscheint  
im Aug' des Mönchs, der Reiter weint.

Er ruft: "O sage, was dich kränkt,  
was dich so tief beweget!"  
Doch wie der Mönch das Antlitz senkt,  
die bleichen Lippen reget,  
das Ungeheure sagen will,  
ruft er entsetzt: "Sei still! Sei still!"

Der Mönch verschwand, der Morgen  
graut,  
der Wand'rer zieht von hinnen;  
und fürder spricht er keinen Laut,  
den Tod nur muss er sinnen;  
der Rappe rührt kein Futter an,  
um Ross und Reiter ist's getan.

Und als die Sonn' am Abend  
sinkt,  
die Herzen bänger schlagen,  
der Mönch aus jedem Strauche  
winkt,  
und alle Blätter klagen,  
die ganze Luft ist wund und weh  
-  
der Rappe schlendert in den  
See.

Arcanus dolor intimus,  
qui tremit per naturam,  
quem maestus sentit animus  
per totam creaturam,  
haud vero capit, adest nunc.  
Dolorem flet ob eques hunc.

Et clamat: "Dic, quae causa sit  
doloris, quo laboras?"  
Sed monacho, qui voluit  
proferre et sonoras  
et tristes voces, imperat,  
ut taceat, o taceat!

Discedit lemur, redit lux,  
et mutus it viator,  
cui modo mors sunt atque crux  
in mente, pervagator.  
Nec quoquam equus vescitur.  
Sors de ambobus iacitur.



Et sol cum eat cubitum,  
sunt corda tristiora.  
Ubique vident monachum,  
qui signa leviora  
dat. Aër luctum redolet,  
mox equum lacus attrahet.

Nicolaus Lenau fecit,  
Martinus Meier in linguam Latinam vertit

### PROPOSITIO ALCVINI: DE HOMINE

Quaero a te ut dicas mihi quot rigas factas habeat homo in agro suo,  
quando de utroque capite campi tres versuras factas habuerit.

## Proverbia Hispanica



*En caza y en amores, entras cuando quieres y sales cuando puedes.*

In venationem et in amores intras, cum cupis et exis, cum potes.

\*

*Llégate a los buenos, serás uno de ellos.*

Adiunge tibi bonos, et unus eorum eris.

\*

*La ciencia es locura si buen seso no la cura.*

Scientia est amentia, nisi bona mens eam curat.

\*

*La llaga de amor, quien la hace la sana y quita el dolor.*

Amoris vulnus qui fecit, sanat et dolorem depellit.

\*

*Más vale malo conocido que bueno por conocer.*

Melius est malum notum quam bonum incognitum.

\*

*El infierno está lleno de buenos propósitos, y de buenas obras el cielo.*

Infernus propositorum bonorum plenus est, caelum operum bonorum.

\*

*La noche es capa de pecadores.*

Nox peccatorum amiculum.

\*\*\*\*\*

*Más vale ser cabeza de ratón que cola de león.*

Melius est muris caput esse quam leonis cauda.

\*

*Come por vivir y no vivas por comer y beber.*

Ede, ut vivas neque vixeris, ut edas et bibas.

\*

*Está en medio del río, y muérese de sed el mezuino.*

Homo avarus et illiberalis medio in fluvio est et siti moritur.

\*

*Con el tiempo todo se sabe, y con el tiempo, todo se olvida y deshace.*

Tempore omnia cognoscuntur, et tempore omnia in oblivionem veniunt et dilabuntur.

\*

*Es llevar agua a la mar, dar adonde hay mucho más.*

Aquam in mare fert, qui dat, ubi iam plurima sunt.

\*

*Beldad y hermosura, poco dura; más vale la virtud y cordura.*


Pulchritudo et forma brevi durant; meliores sunt virtus et mens sana.

In Latinum vertit Daniel Weissmann

### PROPOSITIO ALCVINI:

DE BOVE

Bos qui tota die arat, quot vestigia faciat in ultima riga?



## Quid Hispani de angelis percutientibus senserint



Feniculum flos

In Hispania ex antiquissima consuetudine obtinuit, quod septenis annis solent angeli percutientes terrae illius habitatores invadere. Unde contigit, quod quidam de regno illustris Regis Arragonensis, vir nobilis Petrus, Latro nominatus ex cognomine, miles equidem strenuus et potens, cum cum commilitonibus suis in aula iaceret, singulis stratis suos dormientes capientibus, circa secundas noctis vigilias, aliis somno datis, ipse solus oculis

clausis vigilabat. Inter haec noctis continua duo Mauri domum tam cito gressu subintrant accenso lumine, ut potentibus mos est in cameris inter somnos perpetuum lumen habere. Mauri inter se referunt, quolibet spiculum suum tenente: *Heus*, inquit, *quare dormientes non percutis?* at ille statim vibrato iaculo missibili unum ex militibus sub pectore percutit, et cum, ut alterum percutiat, invitatur a socio, respondit, se in illum nullam nocendi habere potestatem eo, quod die illo feniculum tetigerit. Hoc audiens vir nobilis et oculis apertis illos intuens; sub immoderato timore noctis silentia transegit; cumque ad auroram percussus e gravi somno excitaretur, planctu ingenti vulneris inflicti dolorem in latere testificatur, cumque nihil praeter livorem in loco illo invenisset, et a Petro Latrone causam doloris audisset, advocato sacerdote, post confessionem accepto viatico infra paucos dies positus est ad patres suos.

Ex his apud Hispanos et Catalanos inolevit, quod quotidie feniculum in manu tangunt et tres nodulos feniculi equis suis ad frenum aut capistrum alligant, ne cuiusvis malevoli festinatione moriantur. Nec miretur lector, si verborum tantam vim esse dicimus, ut fascinari lingua malorum possint subiectae bestiae, cum ad ianuam nobis sit in civitate Arelatensi civis de Buniano, cuius commendatio tam infectiva est quod *siquis equum aut aliud animal domesticum laudaverit, statim aut mortem aut mortis periculum incurrit*. Cui consentit Poeta, cum dixit: *Nescio, quis teneros verbis mihi fascinat agnos*. Sed et in civitate Arelatensi cum ante non multos annos bonae memoriae illustris Rex Arragonensis Ildefonsus praesens esset, multa copia militum stipatus; et ut moris est Hispanis et provincialibus, milites in equis phaleratis arma gestarent, dum in medio stadii cursorii quidam



Feniculum

in medio stadii cursorii quidam

miles velocitate pennigera transiret, adstans alius miles nobilis gyrans faciem, adcurrentem ad verba subito dicta equum depulsum tanta celeritate corruere fecit, quod nec a casu resurgere, nec aliquem membrorum motum liberum habere potuit. Respiciens ergo ascensor equi militem, quem vulgus huiusce fascinationis sciebat artificem, coram positus nobilibus et dominabus rogavit, ne in hoc articulo suas ulciscerentur iniurias, de contractis pridem inimicitias. Pietate motus nobilis, cui satis erat publicae vindictae habuisse testimonium, in alteram partem toto gyrato corpore, ad contraria verba eadem felicitate equum restituit, qua deiecerat, sicque equus prohibito dolore totus in sudorem solutus, beneficio malefici dietam suam currendo victoriose perfecit.

Rettulit Stella Gitta





## In cauda venenum

Quis sum? Responsum in tabula latet. Ad picturam restituendam nigro colore inficiendae sunt areae vicinae secundum numeros supra (ad perpendicularum) aut sinistra (ad libram) datos. Nota bene: inter areas nigras semper candida/ae est/sunt.

E. g. hoc in tabula ad libram: areae nigrae sunt tres (A). Quae diversimode collocatae esse possunt: una tamen semper nigra est (B ■).



Ad perpendicularum: propterea quod area nigra una est (C), area infra candida manet (D), ergo (E<sub>1</sub> et E<sub>2</sub>). Iterum ad perpendicularum: diversimode areae nigrae tres collocatae esse possunt: una tamen semper nigra est (F ■); simili ratione (G)...



	6	2 3	6 3	11	1 6	3 10 1	3 5 2 1 3	4 1 2 1 3	1 2 2 2 6	2 2 1 3 5	1 5 6 2 5	7 1 7 2 4	6 8 1 2 3	5 10 2 3	4 10 1 3	3 13 3 2	17 2 2	18 2	10 2	13 2	2 9 3	1 13 4	2 17	1 2 14	2 11		
5																											
2,3																											
10																											
10																											
1,6																											
10																											
3,5,3																											
3,2																											
4,1,2																											
1,2,2,1,3																											
1,2,2,6,2																											
1,5,1,7,2																											
2,4,8,1,2																											
7,10,2																											
5,10,1																											
4,13,1																											
19,2																											
19																											
10																											
13																											
2,9																											
1,12																											
2,8																											
1,2,6																											
2,4																											
1,1,4																											
1,2,1,3																											
1,2,3																											
5,3																											
5,3																											
5,3																											
5,4																											
5,4																											
12																											
9																											

Stella Gitta

Subnoto RV, ut ipse accipiam  
(Ich abonniere RV für mich selber)

\_\_\_\_\_  
 \_\_\_\_\_  
 \_\_\_\_\_

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius  
inscriptio cursualis supra indicata est  
(Ich abonniere RV als Geschenkabonne-  
ment für jemanden, dessen Adresse oben  
angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-  
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-  
mentsrechnung ist zu senden an):

\_\_\_\_\_  
 \_\_\_\_\_

Ort, Datum: \_\_\_\_\_

Unterschrift: \_\_\_\_\_

Hier bitte  
frankieren

RVMOR VARIVS  
C/o EDITIONS ECLECTICA  
Estelle GITTA  
Ch. F.-Lehmann 2  
1218 Grand-Saconnex

PP/Journal


1218 Le Grand-Saconnex



2/2005

KALENDIS MAIIS

MMV



TOMVS 27

FASC. 153